instar densæ nubis in tentatione et afflictionis æstu, suo testimonio nos undique circumstat, cingit, fovet, animat, corroborat et recreat. Ita Chrysostomus et Theophylactus.

Secundo, quia illorum doctrina et exemplo, quasi nube et imbre cœlesti irrigati sumus. De quo Chrysostomus hic *homil.* 28.

Addit *tertio*, Œcumenius et S. Athanasius (quanquam hoc opus non videatur esse S. Athanasii, sed ex eo [illegible] collectum esse, ut satis patet [illegible]tuenti *Quæst.* XXIII), *ad Antiochum*, Quæst. CLXII, quia Sanctorum illorum precibus, quasi nube e cœlo tegimur et juvamur, quasi vox *nubes* notet patrocinium et intercessionem Sanctorum pro nobis; sed priores duo sensus magis sunt ex mente et scopo Apostoli.

Fit expositio quinta.

Moraliter nota hic, quanta sit vis exempli ad acuendam virtutem. Philo, libro *Quod omnis probus est liber*, scribit, quod Miltiades, Atheniensium dux, contra Persas plurimos pugnaturus, socios convocarit, eisque gallos gallinaceos pertinacissime de more inter se pugnantes ostenderit, ratus hoc spectaculum plus eos permoturum ad strenue pugnandum, quam exhortationem. Ita factum est. Socii enim cernentes gallos ad necem usque pugnantes, alacriter et generose correptis armis bellum hoc susceperunt, inque vulnera et mortes se conjecerunt. Si brutorum exempla id præstiterunt in Gentilibus, quid facient Sanctorum certamina in Christianis.

S. Gregorius, in præfat. *Moralium*, [illegible], ut stellæ, inquit, noctem, ita Sancti nos illuminant, et virtutum decorem ostendunt. « Ad ostendendam innocentiam venit Abel; ad docendam actionis munditiem venit Henoch; ad insinuandam longanimitatem spei et operis venit Noe; ad manifestandam obedientiam venit Abraham; ad insinuandam laboris tolerantiam venit Jacob; ad ostendendam mansuetudinem venit Moses; ad ostendendam inter flagella patientiam venit Job. Ecce quam fulgentes in cœlo stellas cernimus, ut inoffenso pede operis, iter nostræ noctis ambulemus. Quot Deus justos exhibuit, tot quasi astra super peccantium tenebras cœlum misit. »

Qui vult evadere poeta, legit Virgilium; qui orator, Ciceronem; qui medicus, Galenum; qui philosophus, Aristotelem; qui vult esse sanctus, legat vitas et exempla Sanctorum : his astris mentem illuminet et accendat.

DEPONENTES OMNE PONDUS. — « Pondus » vocat sollicitudinem conservandi et augendi suas opes; omnemque sarcinam terrestrium negotiorum et curarum, inquit Theophylactus, quæ nos in hoc cursu et agone Christiano (de quo sequitur) remorari, prægravare, sistere et inhibere potest. Est enim metaphora ab agonizantibus et stadiodromis, qui omni vestium rerumque suarum pondere deposito leves, expediti et agiles inibant agonem, et in stadio decurrebant.

ET CIRCUMSTANS NOS PECCATUM. — Græce est τὸν εὐπερίσατον (male enim in Regiis Bibliis legitur ἀπερίσατον, prorsus contrario sensu) ἁμαρτίαν, id est, facile vel bene circumstans et circumcingens nos peccatum. Multi per peccatum intelligunt concupiscentiam, quæ quasi sepes et murus nos cingit, nosque a cursu et agone fidei et virtutis remoratur, ac viam obstruit : cum enim aliquid boni operis præsertim ardui facere cogitamus, mox exsurgit et circumsistit nos concupiscentia, ut reluctetur, opusque impediat. Persistit apposite Apostolus in cœpta cursorum metaphora, *q. d.* Ut recte in stadio curras, non satis est pondera et sarcinas abjicere, sed necesse quoque est viam esse planam et expeditam. Si enim sepes aut murus interpositus sit, viam intercludet, et cursum inhibebit. Sepes nostra nos vallans et circumstans est concupiscentia, eaque multiplex. Hæc ergo prosternenda et abjicienda est; conandumque ut concupiscentias non foveamus, sed succidamus, minuamus et mortificemus : ita via ad omnem virtutem nobis erit plana et expedita.

Concupiscentia impedit bona opera.

Quinto, illos sensus circumstantia nos peccati.

Secundo, S. Chrysostomus et Theophylactus aiunt peccatum nos circumstare, id est, dejicere et vincere, quia facile ab illo vincimur. E contrario S. Athanasius (sive auctor) *ad Antiochum, Quæst.* CLXIII, ait peccatum dici εὐπερίσατον, quia non habet locum ubi consistat, sed facile per pœnitentiam dissolvitur et evanescit.

Tertio, Œcumenius, Erasmus, Vatablus et alii pro *circumstans* vertunt, tenaciter adhærescens peccatum, quasi Apostolus ollæ comparet nos et corpora nostra, peccatum vero adustioni (quæ hebraice dicitur חלאתה *chelata*), seu sordibus quæ corpori nostro pertinaciter adhærescunt, ut defricari nequeant, quin remaneant reliquiæ. Quasi alludat Apostolus ad illud *Ezech.* XXIV, 6 : « Væ civitati sanguinum (Hierosolymæ), ollæ, cujus rubigo in ea est, et rubigo ejus non exivit de ea. »

Quarto, Syrus vertit מטיבא *metaieba*, id est peccatum quod omni tempore nos demergit et deprimit, quasi persistat Apostolus in metaphora ponderis : hoc enim degravat et demergit. Huc pertinet expositio Maldonati in *Notis manuscr.*, « circumstans, » ait, sicut vestis quam induimus nos ambiens. Voce induendi in Scriptura significatur intima conjunctio, *q. d.* Peccatum nos in stadio hujus vitæ ad cœlum currentes ita præpedit, sicut vestis iis qui in agone decurrunt circumvoluta, impedimento esse solet.

Quinto, Theodoretus et Galenus : Peccata, inquiunt, nos circumstant et cingunt instar gladiatorum, qui plures unum adorti facile eum dejiciunt. Per peccata autem hæc Galenus intelligit non concupiscentias, sed extrinsecas tentationes, occasiones et pericula peccati, v. g. malos socios : peccata ergo hic sunt peccatores, infideles et Judæi, qui Hebræos a fide Christi moliebantur abstrahere ad judaismum. Hi enim proprie dicuntur circumsistere; et de his, similibus verbis dicit vers. 4 : « Nondum usque ad sanguinem restitistis

adversus peccatum (id est, peccatores Judæos, qui vos quasi antagonistæ circumsistunt, et ad peccatum apostasiæ sollicitant) repugnantes. » Hic sensus valde appositus et litteralis est. Duo currentibus in stadio cavenda sunt : primum, ne quo onere graventur; secundum, ne quo obstaculo in cursu impediantur. Obstacula autem peccatorum, quæ nos a cursu in cœlum remorantur, sunt socii aliæque extrinsecæ tentationes, quas Apostolus hic apte opponit nubi testium nobis circumpositæ pariter et circumstanti, *q. d.* Aspicite ad exempla Sanctorum, quæ undique vos instar nubis circumdant, ut prava Judæorum exempla et hortamenta, quæ vos a cursu vestro impediunt, discutiatis.

PER PATIENTIAM CURRAMUS AD PROPOSITUM NOBIS CERTAMEN. — Præpositionem *ad* legunt Romana : eam tamen omittunt Græca, Græci, Syrus et multa Latina Biblia manuscripta, eaque lectio videtur melior et verior. Sic enim habent Græca, δι' ὑπομονῆς τρέχωμεν τὸν προκείμενον ἡμῖν ἀγῶνα, id est, *per patientiam curramus propositum nobis agonem* sive *certamen*, *q. d.* Agon noster, certamen nostrum, non in digladiatione, non in diverberatione, non in colluctatione, sed in re levi et facili, inquit Chrysostomus, puta cursu, consistit, ut nimirum cursu certemus, et agonem nostrum decurramus. Unde et Vatablus vertit, *per tolerantiam curramus in proposito nobis certamine.*

Certamen nostrum in cursu consistit.

Nota « curramus » ergo significat actum non inchoatum, sed continuatum, juxta *Can.* 32. Unde ad eum requirit Apostolus non fervorem, sed patientiam et tolerantiam : hæc enim est quæ facit nos pergere et perseverare in hoc agone. Ita Theophylactus.

Secundo, « agonem vocat, vel metonymice ipsum stadium, in quo agonizantes cursu certabant, *q. d.* Decurramus stadium nostrum. Vel proprie ipsum certamen cursus in stadio. Sicut enim dicimur certare certamen, ita dicimur et currere certamen, id est, currendo certare, ut bravium assequamur, sic enim eleganter et significanter dicimur agonem nostrum decurrere, cum eum rite currendo peragimus, *q. d.* Vos, o Hebræi, estis agonizantes et stadiodromi; stadium vestrum, agon vester est certamen pro fide Christi; bene in hoc stadio decurrere cœpistis, pergite patienter, et fortiter perseverate in hoc agone et cursu, licet aspero et difficili : currendum enim vobis est per exilia, per [illegible] rapinam, per medios hostes; ita fiet ut cœleste præmium rite currentibus propositum assequamini. Induite ergo patientiam, hoc vobis erit thorax impenetrabilis, quo omnia hostium tela elidatis : hac armati alacres et inviolabiles in media persecutionum omnium certamina irruetis. Si quis tamen cum nonnullis legat præpositionem *ad*, hoc modo, « per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, » commode sic exponet, « per patientiam, » id est patienter et constanter « curramus, » id est currere pergamus ad stadium et agonem hunc fidei, quo cum Judæis decertamus et decurrimus ad bravium cœlestis coronæ. Subinde enim hic agon intermissus repetendus erat Hebræis. Cessante enim persecutione cessabat agon, recrudescente persecutione recrudescebat agon, ad quem more suo fortiter et constanter obeundum pergere et procurrere identidem debebant Hebræi.

2. ASPICIENTES IN AUCTOREM FIDEI ET CONSUMMATOREM JESUM, — tanquam certaminis et cursus vestri metam, terminum et præmium; vel potius tanquam ad absolutissimum exemplar certaminis et cursus vestri. Alludit enim Paulus, ut notat Chrysostomus, ad pictores, qui ut ex prototypo paragogum, ex exemplari imaginem exprimant, prototypum ipsum sive exemplar sæpe intuentur et respiciunt, *q. d.* Proposui vobis, o Hebræi, cap. præced., tot Sanctorum exempla, nunc ipsum exemplar fidei et patientiæ, scilicet Christum crucifixum, vobis propono, ut in illud assidue intuentes, ejus patientiam et constantiam in vobis exprimere et imitari studeatis. Pulchre et pathetice S. Augustinus, *De Cathec. rud.* : « Omnia bona terrena contempsit Christus, ut contemnenda esse monstraret; omnia terrena mala sustinuit toto vitæ mortalis tempore, quæ sustinenda præcipiebat, ut neque in illis quæreretur felicitas, neque in istis infelicitas timeretur. Natus enim de matre quæ semper virgo permansit, fabro tamen desponsata, omnem typhum carnalis nobilitatis extinxit. Natus in Bethlehem, quæ inter omnes Judææ civitates exigua erat, noluit quemquam de cujusquam terrenæ civitatis sublimitate gloriari. Pauper etiam factus est, cujus sunt omnia, ne quisquam cum in eum crederet, de terrenis divitiis auderet extolli. Noluit rex ab hominibus fieri, quia humilitate ostendebat viam miseris, quos ab eo superbia separaverat, quamvis sempiternum ejus regnum universa creatura testetur. Esurivit, qui omnes pascit; sitivit sitientium fons; fatigatus est itinere terrestri, qui seipsum nobis viam fecit in cœlum : volut obmutuit, et obsurduit coram convitiantibus, vinctus est, flagellatus est, crucifixus est, mortuus est : sed et resurrexit nunquam moriturus, ne ab illo quisquam sic disceret mortem contemnere quasi nunquam futurus, » etc.

Prototypus patientiæ Christus.

Nota : Pro *auctorem* græce est ἀρχηγόν, quod non tantum inceptorem, sed et ducem auctoremque significat. Pro *consummatorem* græce est τελειωτήν, quod tum finitorem, tum perfectorem et coronatorem significat, *q. d.* Christus est principium et finis, dux et coronator fidei.

Nota *secundo* : Christus non dicitur *inceptor et auctor fidei*, quasi in Christo fuerit fides sive habitus vel actus fidei : hic enim est obscurus, eumque elidebat in Christo clara visio beatifica et scientia infusa. Christus ergo non habuit fidem,

In Christo non fuit fides.

sed qua viator habuit scientiam infusam, qua comprehensor habuit visionem Dei, quæ omnes Christi actiones beatificas, sicut scientia infusa omnes alias Christi actiones tam naturales, quam supernaturales et meritorias dirigebat. Quare non recte Vatablus « Christum auctorem et consummatorem fidei » dici putat, quod Christus multa sit passus et vitam æternam sit consecutus, eo quod credidit Deum esse veracem et promissorum servantem. Hoc enim fide non credidit, sed sua scientia et visione clare vidit Christus. Rursum vitam æternam, id est beatitudinem animæ, non meruit Christus, sed ante omne meritum eam adeptus est primo instanti conceptionis suæ, tanquam debitam unioni hypostaticæ qua Verbo copulabatur. Hæc tamen expositio verum habere potest sensum. Pro quo

Christus non meruit beatitudinem, sed ante meritum eam adeptus est.

Nota *tertio* : Christus est *inceptor* sive *auctor et consummator fidei*, tum in se, tum in nobis. In se, quia Christus per scientiam infusam, tanquam per fidem suam credidit futura bona, certoque sibi persuasit res sperandas et non apparentes, quarum fides est substantia et argumentum, easque ipse primus in mundo clare tum verbo, tum exemplo suo docuit, utpote qui pro hac fide, tota vita sua laborarit, prædicarit, et tandem acerbissimam crucem constanter sit passus. Sic Abraham dicitur pater fidei et fidelium, quia ipse insigni sua fide aliis omnibus illustre credendi exemplum dedit. Rursum, Christus est *consummator fidei*, quia primus cursum fidei feliciter consummavit, resque speratas perfecte et consummate adeptus est, puta gloriam corporis et nominis sui famam, hominumque salutem, quæ sibi promiserat Deus, quæque Christus credidit infallibiliter per hanc passionem suam sibi obventura. Hoc enim sensu Christus, quasi fidei dux, victor et triumphator nobis præivit. Hicque videtur esse genuinus hujus loci intellectus, tum quia Christus hic nobis fidei quasi belli fidei causa suscepti dux et confector victorque proponitur; tum quia ita se explicat Apostolus, dum subdit : « Qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem : » en Christum auctorem fidei; « atque in dextera sedis Dei sedet : » en Christum consummatorem et triumphatorem.

Est auctor fidei in se et nobis.

et consummator fidei.

Secundo, Christus non tantum in se, sed etiam in nobis est *auctor* et *consummator fidei*, pro quo adverte, id quod annotavit Ribera : fides hic tam objectum fidei, sive id quod fide credimus, quam actum et habitum fidei, quo credimus, significat. Christus ergo est *fidei auctor*, tum quia primus ipse objectum, sive articulos fidei, quos credere debemus, nos docuit; tum quia sua gratia in nobis actum et habitum fidei inchoat et producit, est enim fides gratia et donum Christi. Rursum Christus est *consummator fidei*, tum quia ea quæ hic credenda docuit, postea in cœlo videnda exhibebit; tum quia actum fidei mutat in visionem : visio enim fidei est perfectio et consummatio.

Est inceptor et consummator fidei in nobis.

Addit *tertio* Vasquez, quia tribuit opportunitatem, ut bonum quod per fidem et gratiam ejus animo concepimus, opere exequamur.

QUI PROPOSITO SIBI GAUDIO SUSTINUIT CRUCEM, CONFUSIONE CONTEMPTA. — Est hic triplex lectio. Prima, *proposito sibi gaudio* : ita legunt Romana. Secunda, *pro posito sibi gaudio* : ita legunt Biblia Regia. Tertia, *pro proposito sibi gaudio* : ita legendum vult Ribera, *q. d.* Paulus : Christus, *pro gaudio*, id est præ gaudio, loco et vice gaudii sibi propositi maluit et elegit crucem. Cum enim liberum esset Christo manere in propria gloria et divinitate, maluit tamen pro nobis fieri homo et crucifigi. Rursum Christus homo factus, et assumens corpus, cum posset statim gloriam et beatitudinem animæ suæ in corpus derivare, illudque immortalitate et gaudio implere, noluit tamen id facere, sed maluit crucem corpore suo excipere. Ita Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Œcumenius.

Triplex lectio.

Addit Rupertus, Patrem æternum Christo in primo incarnationis suæ instanti proposuisse optionem gaudii et crucis, ita ut, si vellet Christus, posset gaudens, delicians et triumphans, salutem affere mundo; Christum vero præ gaudio hoc sibi proposito amplexum esse crucem. Per eam enim voluit ex justitia satisfacere Deo Patri pro peccatis nostris; atque mereri, non autem gratis habere, tum gloriam nominis et corporis sui, tum salutem nostram. Sed hæc non satis consentiunt cum æterno decreto, quo Deus decrevit Christum pati et crucifigi; nisi dicas decretum illud præsupposuisse liberam Christi electionem a Deo prævisam, non absolute, sed conditionate. Prævidebat enim Deus, quod si Christo homini incarnato optionem gaudii et crucis proponeret, indicans gratius sibi fore, si Christus eligeret crucem potius quam gaudium, et ad hanc electionem congrua et efficaci gratia eum incitaret et impelleret, Christum libere electurum fore crucem præ gaudio. Hac præscientia posita absolute decrevit Deus ab æterno, Christum pati et crucifigi, et in tempore gratiam congruam jam dictam Christo exhibere, qua Christus decreto Dei sponte se subderet libereque eligeret crucem præ gaudio. Sic enim nihil decedit auctoritati et certitudini decreti divini, et alia ex parte multum accedit laudis, meriti et virtutis Christo; denique ita commendatur suavitas simul et efficacia divinæ providentiæ.

Christus præ gaudio et gloria elegit crucem.

Verum quia Romana, et omnia alia passim exemplaria Latina habent « proposito sibi gaudio sustinuit crucem, » τὸ *proposito* videtur significare gaudium hoc Christo fuisse propositum, quasi præmium crucis, illudque significat Græcum ἀντί, ut patet inferius, vers. 16, ubi ait Esau, ἀντὶ βρώσεως, id est, propter escam vendidisse sua primogenita. Primogenitorum ergo pretium instar præmii apud Esau erat esca. Simili enim modo potuisset ibi vertere Interpres dicendo : Esau

Christus sustinuit crucem pro gaudio et gloria, id est mercede.

proposita sibi esca, vendidit sua primogenita. Sic vulgo dicimus : Miles, proposita sibi victoria, id est, propter victoriam quam sibi quasi præmium proponit, acerrime dimicat; agricola, proposita sibi diurna mercede, id est propter diurnam mercedem quam sibi proponit, strenue laborat. Ita et hic de Christo ait Paulus, quod « proposito sibi gaudio, » id est, propter gaudium sibi propositum, sustinuit crucem, *q. d.* Christus sustinuit crucem, ut mereretur et assequeretur gaudium, quod Pater ipsi proposuit, tum per se, tum per angelum, qui Christum in agonia constitutum in horto confortavit, *Luc.* XXII, 43 (eo enim alludit hic Paulus). Hic namque angelus Christo in parte inferiori, quæ a parte superiori derelicta erat, et exposita dolori et passioni, non interius in phantasia, sed exterius voce corporali proponebat gaudium ex cruce secuturum, puta resurrectionem et gloriam corporis, æque ac nominis sui, ac salutem hominum, qui Christum quasi redemptorem agnoscerent, colerent et adorarent, illi templa erigerent, sacerdotes instituerent, Christique nomen toto orbe prædicarent et celebrarent; ideoque Christus, propter hoc gaudium sibi propositum, amplexus est ignominiam et confusionem crucis. Perperam ergo Melchior Canus, lib. XII *De Locis*, XIV, hoc gaudium interpretatur delectationem manantem ex visione Dei, quam ipse in passione Christi a Deo suspensam fuisse, et a Christo promeritam putat, de quo alibi dicendum est. Melius Theodoretus : « Christus, ait, gaudium suum vocat animarum salutem ; » hoc enim verum, sed partiale fuit Christi gaudium, non formale, sed objectivum.

Hic sensus uti simplicior est et planior, ita germanior quoque est et significantior priori. Sic Christi exemplo omnes sancti Apostoli, Martyres, Virgines, proposito sibi gaudio, sustinuerunt crucem. Audi S. Vincentium tyrannum Dacianum ejusque tormenta irridentem : « Has epulas (tormenta quæ mihi infligis) ego semper desideravi : nunquam aliquis adeo bene servivit mihi, sicut tu. » Nemo enim patientem lædit, sed ditat et coronat; quidquid enim quis illi aufert boni, vel mali infert, hoc eidem centupliciter in cœlestibus thesauris reponit. Hæc est ergo sapientia patientium et gloria, ut dicat : Amore Dei et cœli, siti potor, fame pascor, paupertate locupletor, mortem calco, ubique dives sum et inclyta, ubique abundans.

ATQUE IN DEXTERA SEDIS (throni) DEI SEDET. — Syra et Græca habent κεκάθικεν, id est sedit, sive consedit in præterito; sed, ut fatetur ipse Erasmus, præteritum hic, uti et alibi sæpe, pro præsenti capitur, *q. d.* Videte, o Hebræi, quam Christus, fidei dux, per suam patientiam et constantiam, qua pro fide confusionem et crucem sustinuit, jam sit exaltatus, ut ad dexteram Dei in omni gloria et honore sedeat. Idem vobis eveniet, si in hoc fidei et patientiæ stadio ad finem usque constanter decurreritis : sedebitis enim cum Christo duce et capite vestro, atque quasi Christi assessores et judices orbis, judicabitis non tantum duodecim tribus Israel, sed etiam omnes tribus terræ.

potestas judiciaria communicanda patientibus.

3. RECOGITATE ENIM RUM, QUI TALEM SUSTINUIT A PECCATORIBUS ADVERSUM SEMETIPSUM CONTRADICTIONEM. — Pro *enim*, in Græco aliqui legunt γάρ, alii cum Syro legunt οὖν, id est, itaque.

Secundo, pro *recogitate* græce est ἀναλογίσασθε, id est, serio cogitate, considerate, expendite.

Tertio, per *contradictionem* synecdochice et metonymice intelligit non tantum omnia probra, irrisiones, contumelias, sed etiam plagas, verbera, tormenta et mortem Christo a peccatoribus, id est impiis Judæis, illata. Judæi enim non tantum verbis, sed et factis atque verberibus contradixerunt Christo, eumque impugnarunt et persecuti sunt. Ita Chrysostomus.

Quarto, emphasim habet vox *talem*, id est tam acrem, tam hostilem, tam infamem, tam horrendam, scilicet, usque ad mortem crucis, ut quasi latro cum latronibus suspenderetur et clavis affigeretur in cruce. Quem ergo militum fidelium ad se sequendum non moveat Christus Imperator? « Qui, ut ait S. Chrysostomus, serm. *De feria* 5 *Passion.*, tom III, sub finem, non equidem gloriosus, indutus purpura, diademate decorus, aspersus auro, solio sublimis; sed in campum egrediens, connivens vultu et honore ultimus, periculis primus, onustus ferro, gravis armis, pro patria, pro civibus, pro liberis, pro vita omnium premit hostem, discrimina despicit, contemnit vulnera, ipsam libens mortem suorum suscipit ad salutem? Sic enim Christus de sinu Patris ad nostram venit servitutem, ut nos suæ redderet libertati; mortem nostram suscepit, ut nos ejus morte viveremus, » etc. Lucanus, lib. IX, Catonem, militibus per Africæ deserta armis verbisque præeuntem, ita describit :

Primus arenas
Ingrediar, primusque gradus in pulvere ponam.
Me calor æthereus feriat, mihi plena veneno
Occurrat serpens, fatoque pericula vetera
Prætentate meo, etc., nullo descrimine notum,
Dux an miles eam.

Longe verius hæc a Christo duce sibi dici censeat miles fidelis; nec tam dici, quam re ipsa agi : nisi quod Christus ita eat ut miles, ut et præeat per omnia aspera quasi dux, idque omnibus notum.

UT NE FATIGEMINI ANIMIS VESTRIS DEFICIENTES. — Id est, ne fatigatione victi cadatis, et in medio cursu desistatis et fatiscatis, « animis vestris deficientes, » græce ἐκλυόμενοι, id est dissoluti, uti scilicet solvatur vigor et fortitudo animorum vestrorum, fiatisque languidi, enerves, pusillanimes, itaque cedatis Judæis et ad judaismum redeatis, *q. d.* Hucusque constantes in fide perstitistis, magno labore magna præmia vobis comparastis,

Frequenter victores promptiores ad nova certamina.

nolite præteriti laboris jacturam facere; quin potius durate in malis, et propter superatos agones pollicemini vobis futurorum victoriam. Sic legimus de Clemente Ancyrano, Athanasio, et aliis, quos frequentium victoriarum sibi conscii, promptiores ad nova semper redibant certamina.

Vers. 4.

4. Nondum enim usque ad sanguinem restitistis, adversus peccatum repugnantes. — Vox « enim » non est in Græco, sed intelligitur, magnamque habet emphasim et efficaciam, *q. d.* Recogitate Christi crucem et mortem : ita fiet, ut usque ad crucem et mortem Judæis et peccato apostasiæ, ad quod ipsi vos sollicitant, resistatis. Licet enim restiteritis usque ad amissionem bonorum vestrorum, ut dixi cap. x, vers. 34, tamen nondum usque ad sanguinem restitistis. Cogitate sanguinem, quem Christus in cruce pro vobis effudit, itaque roborate vos, ut pariter pro Christo, non tantum bona, sed et sanguinem vitamque profundere cupiatis, dicatisque cum Herminio, « Malo mori quam inquinari peccato. »

Peccato, ut antagonistæ in fro, fortiter resistendum.

Nota : Pro *repugnantes* græce est ἀνταγωνιζόμενοι, id est, decertantes instar athletæ, qui cum suo antagonista in agone omnibus nervis et viribus concertat, ut eum superet et supplantet. Ita nos peccato, quasi antagonistæ nostro resistere oportet, ut quasi generosi Christi athletæ et milites certi simus et resoluti in hoc agone fortiter aut vincere, aut mori. Nam hæc ipsa mors atque martyrium est victoria nostra.

Nota hæc, Christiane, qui ob socios, ob irrisiones, ob voluptatem, ob lucellum aliquod, consentis peccato. Vide, quam longe absis a virtute et constantia Christi et Sanctorum : illi ad sanguinem peccato restiterunt; pudeat te si non ad verbera, certe ad verba, scommata, contumelias saltem non obdurescere et resistere peccato. Audi Sanctorum ἀσπονδον πόλεμον, irreconciliabile scilicet bellum contra peccatum, audi et imitare. Eudoxia, Arcadii uxor, dira minabatur S. Chrysostomo : responsum est ei a suis : « Frustra illum terres, Chrysostomus nil nisi peccatum timet. » Theodosio Imperatori adulabatur Ruffinus, dicebatque se curaturum ut Ambrosius vincula ei injecta sponte laxaret. Cui Theodosius : « Novi ego constantiam Ambrosii, et quod nullo regiæ majestatis terrore legem divinam transgredietur. » S. Ludovicus edoctus a matre Blanca prorsus infixum gerebat in pectore, malle se mori quam peccare. S. Edmundus, Cantuariensis Archiepiscopus, ait : « Malo insilire in rogum ardentem, quam peccatum ullum sciens admittere in Deum meum. » S. Anselmus : « Si hinc, ait, peccati horrorem, inde inferni dolorem corporaliter cernerem, et necessario uni eorum immergi deberem, prius infernum quam peccatum ingeterem. » Et lib. *De Beatit.*, cap. XIX : « Mallem, inquit, purus a peccato gehennam intrare, quam peccati sorde pollutus cœlorum regna tenere. » Eleazarus, II *Machab.* VI, ait malle se præmitti in infernum, quam legem Dei transgredi. Vide quid dixerint et egerint septem fratres Machabæi, II *Machab.* VII. Denique Apostolus *Rom.* cap. VIII, 35 : « Quis, ait, nos separabit a charitate Christi? certus sum, quia neque mors, neque vita, » etc.

Viderunt eminus illud idem gentiles. Unde Seneca : « Licet, inquit, scirem homines ignoraturos, et Deum ignosciturum, tamen peccare nollem, ob peccati turpitudinem. » Est enim peccatum summum naturæ mundique malum, adeo ut nec homo, nec dæmon, nec Deus ipse, tantum mali inferre possit homini, quantum homo sibi ipsi infert, dum peccat. Illi enim tantum inferre possunt malum pœnæ, quod malo culpæ, sive peccato, longe minus est. Recte ergo Chrysostomus : « Quid est, ait, peccatum? Est voluntarius dæmon et spontanea insania. »

Peccatum est spontanea insania.

Vers. 5.

5. Et obliti estis consolationis, quæ vobis tanquam filiis loquitur, dicens : Fili mi, noli negligere disciplinam Domini. — Carpit modeste Hebræorum desidiam, *q. d.* Non restitistis peccato usque ad sanguinem, imo obliti estis exhortationis et consolationis (utrumque enim significat Græcum παράκλησις), qua Deus (ut ait Scriptura) nos quasi filios suos afflictionum disciplina castigat et erudit.

Lectio sacræ Scripturæ utilis Christiano.

Nota : Remittit tacite Hebræos Apostolus in persecutione ad Scripturas, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeant, animosque aeuant, uti fecerunt Machabæi, I *Machabæorum* cap. XII, vers. 9. Ex neglectu enim lectionis sacræ Scripturæ et prædicationis verbi Dei succrescit in homine tepor et torpor, ut langueat in fide et pietate, facileque exorta tentatione fidem abneget.

Nota *secundo* : Citat Apostolus *Proverb.* III, 11, juxta Septuaginta, ubi sic habent : « Fili mi, noli negligere (græce μὴ ὀλιγώρει, id est ne parvi æstimes, quasi parvum, cum revera magnum sit donum Dei) disciplinam Domini. » *Disciplinam* vocat castigationem; unde explicans subdit vers. 6 : « Quem enim diligit Dominus, castigat. » Pro *disciplina* hebraice est מוסר *musar*, id est disciplina, correctio, increpatio, castigatio, qua homines, præsertim pueri primis annis, per doctrinam, minas, virgas aliasque pœnas, per disciplinam et leges, quibus coercentur et constringuntur, arcentur a peccatis et assuefiunt bonæ et honestæ vitæ; estque severior institutio primæ ætatis, ad levitatem et lasciviam ejus edomandam, quæ Græcis παιδεία dicitur. Unde Xenophon primam institutionem Cyri, *Pædiam Cyri* inscripsit. Talis est omnis castigatio et disciplina, quam Deus hominibus immittit, aut immitti permittit : Deus enim castigat ad hoc tantum, ut doceat nos recti virtutis via incedere, qua terrena contemnentes quæramus spiritualia et cœlestia.

Institutio primæ ætatis cur debeat esse severior.

Hinc nota *tertio* : Omnes afflictiones, v. g. calpitationes bonorum, ab Hebræis fidei causa susceptæ, omniaque tormenta Martyrum sunt *musar*, id est castigatio et disciplina Dei, non immittentis, sed permittentis ea, partim ad hoc, ut per ea puniantur peccata, etiamsi levia, quæ fideles et martyres quandoque admiserunt. Ita Machabæi omnem illam Antiochi persecutionem, omniaque tormenta, quibus ab eo cruciabantur, suis peccatis ascribunt, II *Machab.* VI, 13, et VII, 32. Est enim, ut ait Cyprianus ad Martyres, valde consultum et pium malis meritis tribuere, quod pateris, etiamsi causa fidei idipsum patiaris. Partim ad hoc, ut per ea discant fideles patientiam, charitatem, continentiam, martyrium aliasque virtutes. Omnem enim concupiscentiam elidit et absumit afflictio, docetque omnem virtutem.

Afflictio concupiscentia domitrix, magistra virtutum.

Neque fatigeris (μηδὲ ἐκλύου, id est, ne dissolvaris, deficias, fatiscas animo) cum ab eo argueris, — id est, cum corrigeris sive verbis, sive verberibus; cum affligeris et flagellaris. Nam hebraice est בתוכחתו *betochachto*, id est, in correptione, objurgatione et castigatione ejus; patet ex seq. Sic *Psalm.* VI, dicitur : « Domine, ne in furore tuo arguas, id est, punias et affligas, me, » et II *Reg.* cap. VII, vers. 14 : « Si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, et in plagis filiorum hominum. » Fere persuadent sibi homines rebus adversis nihil aliud fieri, quam se torqueri, vexari et affligi; at Scriptura docet nos iis fingi, erudiri et perfici, ut non solum evadamus filii Dei, sed et sancti, illustres et perfecti, adeoque Martyres. Cujus rei ratio mox in Apostolo patebit.

Rebus adversis Deus nos fingit et erudit.

6. Quem enim diligit Dominus, castigat, — perinde ut pater castigat et corripit mores inconditos filii sui : si enim eos non castiget, signum est desperatam esse filii emendationem, filiumque a patre negligi et contemni.

Flagellat autem omnem filium quem recipit. — Citat *Proverb.* III, 12, ubi in Hebræo sic habetur כאב את בן ירצה *keab et ben iirtse*, quod noster Interpres ibidem vertit, *et quasi pater in filio complacet sibi*; Septuaginta vero, quos sequitur Paulus hic, vertunt, « flagellat autem omnem filium quem recipit. » Diversitas hæc versionum orta est ex verbo Hebræo כאב, quod si legatur cum *sceva* et *camets*, *keab*, significabit, *et tanquam pater*. Ita legit Noster *Proverb.* III, 12. Sin vero legatur cum *chiric* et *tsere*, *kieb*, in *Piel*, significabit, *delere facit, affligit, flagellat*. Ita legerunt Septuaginta, et ex iis Paulus. Unde patet rursum, hic non tantum duplicem esse versionem canonicam ab Ecclesia probatam, sed etiam duplicem esse lectionem in Hebræo, scilicet *keab* et *kieb*. Utroque enim modo legi potest כאב, si sine punctis scribatur. Simile exemplum vidimus cap. XI, vers. 21.

Nota : Sicut pater flagellat filium, non ut cruciet, ejusque cruciatu se pascat, sed ut erudiat, et lasciva mores ipsius castiget et emendet : ita pariter flagellat Deus suos filios, ut castiget eorum vitia, eosque ad omnem virtutem instruat, non autem quod eorum castigatione et plagis delectetur.

Nota *secundo*, « filium quem recipit, » id est, quem in filium admittit, quem in suam disciplinam et paternam curam suscipit, quem suæ familiæ ascribit, et, ut Noster vertit *Prov.* III, 12, *in quo sibi complacet*, sive quem unico amplectitur, et cui optime vult. Hoc enim significat Hebræum *iirtse*, *q. d.* Castigatio, qua Deus suos, v. g. vos, o Hebræi, per Judæos affligit et castigat, index est et argumentum paterni et singularis Dei amoris in vos, utpote, qui hac afflictione vos perinde, ut pater filium, prædagogus discipulum, efformat et erudit ad omnem patientiam, contemptum opum terrenarum et amorem cœlestium. Ita B. Virginem, Paulum, Apostolos omnesque Sanctos præcellentes et sibi maxime charos, multis afflictionibus castigavit, erudivit, expolivit, atque in omni gratia et gloria perfecit Deus.

Pulchre S. Bernardus, serm. 10 *De Cœna Domini* : « Vinitor, inquit, circa vineam fodit, et usque ad ejus inferiorem radicem terram acuto ligone perfodit; et si radiculas aliquas etiam emiserit, cultello putationis abscindit. Et quanto magis hujusmodi vana, et minus utilia vitis amittit, frugiferior et uberior ad fructificandum assurgit. Sic quem diligit, flagellat et percutit : flagellat enim omnem filium quem recipit. Illorum est enim hic flagella percipere, quibus datur de æternitate gaudere. Sed qui de passione murmurat, ad ipsum qui super ipsum est non appropinquat; imo hæreditatem supernæ felicitatis amittit, si flagellum Dei Patris patienter et cum amore non suscipit. Et si de flagello Domini murmurat, certus sit quia murmurantium pœnam incurrit. »

7. In disciplina perseverate, — qua scilicet Deus vos per Judæos contribules vestros exercet et exagitat exiliis et proscriptionibus, uti jam dixi.

Nota : Noster Interpres legit ἐν παιδείᾳ, id est, « in disciplina; » ita quoque legit Syrus et Chrysostomus, ut patet ex ejus explicatione. Jam vero Græca habent, εἰ παιδείαν, id est, si disciplinam sustinetis, tanquam filiis vobis offert se Deus. Et ita legit Theophylactus et Œcumenius.

Refert Laertius Diogenem Cynicum profectum Athenas ad Antisthenem, ut ab eo doceretur, se contulisse, cumque ab eo sæpe repelleretur, non destitisse tamen ei adhærere : adeo ut, cum aliquando baculum ei intentaret Antisthenes, ultro baculo caput subjecerit, dicens : « Cæde si vis, at nullum invenies baculum tam durum, quo me abs te abigas, dum aliquid docueris. » Si Diogenes ita Antisthonis, quomodo Christianus Christi disciplinam ambire et persequi debet.

Disciplina ducens ad perfectionem.

Audiat ergo virtutis et perfectionis, non Cynicæ, sed Christianæ et religiosæ avidus insignem ejus magistrum B. Joannem Climacum : « Si vis virtutis apicem conscendere, ducem ac magistrum quære, cujus natura asperior et superior, sub quo perseverans, jugiter objurgationes et irrisiones quotidie ut mel et lac bibe. Is qui ad placidissimam animi quietem, et ad Deum currit omni

die quo maledicta non sustinet, ingens detrimentum se sustinuisse arbitretur. Sicut enim arbores quæ a ventis agitantur, altioribus semper radicibus nituntur; ita et qui in obedientia degunt eaque varie exercentur, validas et inconcussas animas possident. Beatus, qui propter Deum quotidie maledictis et conviciis lacessitus, sibi vim fecerit! Hic enim cum Martyribus triumphabit, angelisque par erit in gloria. Beatus asceta, qui se omni ignominia omnique abjectione dignum horis singulis existimat! » Hactenus Climacus. Talem ducem ac magistrum delegit sibi S. Joannes Damascenus, et sub ejus disciplina mire exercitus ad tantam sanctitatem pervenit.

TANQUAM FILIIS VOBIS OFFERT SE DEUS, — *q. d.* Per hanc disciplinam, castigationem et persecutionem Deus se vobis exhibet tanquam patrem; pater enim filium quem diligit, castigat. Suscipite ergo hanc disciplinam grato et hilari animo, æstimate vos beatos hac tribulatione, eaque gloriamini, quia ipsa signum est vos esse filios Dei, et quasi filios a Deo regi et tractari.

Idipsum senserunt Gentiles philosophi. Seneca, lib. *De Providentia* : « Deus, inquit, bonos ut severi patres, durius educat, vultque eos doloribus ac damnis colligere robur. » Et inferius : « Hanc, inquit, rationem, dii sequuntur in bonis viris, quam in discipulis suis præceptores, qui plus laboris ab his exigunt, in quibus certior est spes. Dicant ergo ipsi : Digni visi sumus Deo, in quibus experiretur, quantum humana natura posset pati : optimi milites ad durissima mittuntur. »

8. QUOD SI EXTRA DISCIPLINAM χωρὶς παιδείας, id est, absque castigatione) ESTIS, CUJUS PARTICIPES FACTI SUNT OMNES (genuini et dilecti filii), ERGO ADULTERI, ET NON FILII ESTIS. — Pro *adulteri* legendum videtur *adulterini*, id est spurii : hoc enim significat Græcum νόθοι, *q. d.* Si semper voluptuamini et ex libidine traducitis vitam in deliciis, expertes paternæ castigationis Dei, ergo non estis germani Dei filii, sed spurii et supposititii. Castigatio enim et disciplina prompte humiliterque suscepta, germanos Dei filios probat, eosque a spuriis secernit. Perinde enim atque aquila pullos soli exponendo, ut adversis et irretortis oculis solem intueantur, genuinos probat, et a spuriis (quos ad solem conniventes ungue demittens præcipitat) distinguit et separat : ita Deus suos afflictioni exponendo, explorat et secernit.

Castigatio Dei bonos secernit a malis.

9. DEINDE PATRES QUIDEM CARNIS NOSTRÆ ERUDITORES HABUIMUS, ET REVEREBAMUR EOS : NON (nonne) MULTO MAGIS OBTEMPERABIMUS PATRI SPIRITUUM, ET VIVEMUS? — Est alterum argumentum, a minori ad majus; « patres carnis » vocat parentes, qui nos secundum carnem genuerunt. Significat Apostolus maximam nos non habere a parentibus, sed eam a Deo creari, et creando infundi carni humanæ. Hac enim de causa parentes vocat « patres carnis. » Deum vero vocat *Patrem spirituum*, id est animarum.

Secundo, pro *eruditores* græce est παιδευτάς, id est institutores, correctores, castigatores, *q. d.* Parentes carnales nos in pueritia corripiebant et castigabant, nosque hanc eorum castigationem cum reverentia, patientia et obedientia excipiebamus : quanto magis patienter excipere debemus hanc disciplinam et castigationem Dei, qui pater est, non tantum carnis, sed et animæ nostræ, præsertim cum id jubeat Deus, cui obtemperandum est, quique obtemperantibus sibi in hac disciplina promittit vitam sempiternam? Obtemperare enim Deo hic idem est, quod acquiescere et patienter ferre afflictiones ab ipso immissas, vel permissas, quasi is qui impatienter eas tolerat, Deo quodammodo renitatur. Ita Theophylactus.

Nota : Pro *patri* Syrus habet לאבהין דרוחתא *labahin deruchata*, id est, patribus spirituum. Per « patres spirituum » Galenus intelligit Episcopos et pastores, quorum est animas regere et instituere. Verum toto hoc discursu Apostolus non agit de hisce patribus, sed de Deo, qui nos quasi pater sua disciplina et afflictione castigat. Unde omnes Græci et Latini legunt, non *patribus*, sed « Patri spirituum; » ideoque ex hoc loco et similibus Syriaca versio a nonnullis non satis probatur.

Rursum, *spiritus* hos tripliciter explicat Theophylactus. Deus, inquit, est *pater spirituum*, id est angelorum.

Secundo, *spirituum*, id est, donorum spiritualium.

Tertio et optime, *spirituum*, id est animarum. Alludit Paulus ad *Num.* XVI, 22, ubi Moses ait : « Fortissime Deus spirituum universæ carnis. » Ubi adverte, Deum non tantum hac ratione dici patrem animarum, quod eas creet, sed etiam quod eas instituat, castiget, efformet, sanctificet, perficiat tanquam præceptor et pædagogus : hic enim sub voce patris hoc loco intelligitur; nam boni patris officium est instar pædagogi erudire filium, *q. d.* Apostolus : Sicut patres carnales sunt pædagogi filiorum secundum carnem et corpus, ut in eis exteriores corporis mores componant secundum honestatem et decentiam (nam « carnis nostræ » tam ad « eruditores, » quam ad « patres, » referendum est) : ita Deus, qui pater est animarum, easdem erudit et efformat tanquam pædagogus ad vitam internam, sanctam et spiritualem; atque hac de causa Apostolus Deum nominavit *patrem* non animarum, sed *spirituum*. Ita se explicat ipse vers. seq.

Deus pater animarum, quia eas creat, format, sanctificat, perficit.

Nota : Sicuti Deus ab Hebræis vocatur אדני *Adonai* vel *Eloha*, et ab Arabibus אלה *Alla*, vel *Ille*, ut Pœni pronuntiant; et a Græcis ὁ κύριος, id est Dominus, per excellentiam. Rursum, εἷς Deus ab Hebræis vocatur מרך העולם *melech hôlam*, et a Græcis βασιλεὺς τοῦ αἰῶνος, et a Latinis Rex sæculi, vel Rex sæculorum : unde et Æthiopes (quorum, uti et Arabum, Persarum, Pœnorum, Ar-

menorum aliorumque Orientalium lingua affinis est, et quasi filia linguæ Hebraeæ) Deum vocant אמלך *emlac* id est regem : מלך *melech* enim Hebræis regem significat. Ita pariter Deus ab Hebræis, Græcis, Latinis vocatur Pater, et maxime pater spirituum vel animarum, quia harum nec homo, nec angelus potest esse pater vel creator, sed solus Deus. Unde et Æthiopes Deum vocant אגזיאבהר *egzziabher*, id est, Dominus pater bonus. *Eghzia* enim Dominum, *ab* patrem, *her* bonum significat. Paternitas enim æque ac bonitas Dei maxime elucet in creatione et gubernatione animarum : hisce enim Deus se et omnia sua bona communicat, dum eas ad suam imaginem et similitudinem creat, dumque eas implet sua sapientia, gratia et gloria.

10. ET ILLI QUIDEM IN TEMPORE PAUCORUM DIERUM (πρὸς ὀλίγας ἡμέρας, id est, paucos dies, scilicet præsentis vitæ) SECUNDUM VOLUNTATEM SUAM ERUDIEBANT NOS : HIC AUTEM AD ID, QUOD UTILE EST IN RECIPIENDO SANCTIFICATIONEM EJUS. — Duplici antithesi vim et pondus suo argumento addit Apostolus : prior est, quod patres carnales erudiebant nos præsenti sæculo, tempori et vitæ, quæ brevis est et evanida, ut scilicet nossemus vivere et agere cum hominibus, atque curare et providere opes et bona hujus vitæ : Deus vero erudit nos æternitati.

Duplex antithesis disciplinæ Dei ergo nos, et patrum carnalium.

Secundo, illi, « secundum voluntatem suam, » græce κατὰ τὸ δοκοῦν αὐτοῖς, id est, sicut ipsis videbatur, pro suo arbitratu, conceptu et phantasia docebant nos ea quæ nobis putabant fore utilia, cum revera sæpe utilia non essent, sed noxia; imo sæpe docebant ea quæ non nobis, sed sibi et familiæ suæ putabant fore utilia et splendida : Deus vero semper erudit nos ad id, quod utile est, non sibi, sed nobis, « in recipiendo, » id est ad recipiendum (hoc enim significat Græcum εἰς τὸ μεταλαβεῖν) « sanctificationem ejus, » ut scilicet efficiamur participes sanctitatis divinæ, hic per gratiam, in cœlo per gloriam beatam et æternam.

11. OMNIS AUTEM DISCIPLINA IN PRÆSENTI QUIDEM VIDETUR NON ESSE GAUDII, SED MŒRORIS. — Nota : Non dicit Apostolus, *est*, sed « videtur » esse mœroris, quia revera per se disciplina est causa et procreatrix non mœroris, sed omnis lætitiæ et gaudii, adeoque vitæ æternæ, inquit Chrysostomus; nobis tamen in momento castigationis et afflictionis videtur esse mœroris, non gaudii, quia disciplina suo doloris sensu ita nos afficit et perstringit, ut fructum pacatissimum inde sequturum non cogitemus : nam quando transiit dolor, tunc fere melius judicamus, fructumque disciplinæ agnoscimus et persentiscimus, ideoque gaudemus. Pari modo dum jejunas, vino abstines, corpus castigas, laborat corpus, dolet caro; dum patienter fers injuriam, eamque condonas, animus dolorem persentiscit; dum tibi adimis cibos aut nummos, ut pauperi des, cruciatur cupiditas; dum oras assidue, et bonam noctis partem cum Domino vigilando et orando consumis, dum humi cubas, dorsum, genua et caput affliguntur, præsertim in incipientibus : sed postea exercitatis fructum pacatissimum afferent justitiæ et sanctimoniæ. Rursum gloria quæ hoc labore temporali comparatur, sempiterna erit : « quod enim momentaneum est et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. »

POSTEA AUTEM FRUCTUM PACATISSIMUM EXERCITATIS PER EAM REDDET JUSTITIÆ. — Pro *exercitatis* græce est γεγυμνασμένοις, quod denotat palæstritas, quales erant olim illi, qui nudi luctati et exercitati erant in palæstra, quæ inde dicta est gymnasia : indeque gymnasium vocatur schola, in qua, quasi in palæstra mentis, crebra et magna est exercitatio ingenii, memoriæ, animi et virtutis.

Notat Theophylactus *disciplinam* vocari gymnasiam, quod Christianos quasi athletas exerceat, formet, roboret et perficiat : cur ergo eam horretis et fugitis, o Hebræi, o Christiani? Disciplina enim docet vos patientiam, patientia autem docet omnem virtutem, et, ut ait S. Jacobus, cap. I, « opus perfectum habet. » Rursum, sicut athletæ bene prius exercitati, cum serio certandum est, et fortiter res agenda, tunc viros se præbent, et per exercitationem vincere docti, in agone vincunt, et bravium assequuntur : ita vos, o Hebræi, per hasce persecutiones exercitati, cum martyrium aut aliqua gravior lucta ingruet, facile eam superabitis et triumphabitis. Suscipite ergo disciplinam hanc persecutionum, ut per eam ad martyrium et triumphos eximios vos comparetis. Ita videmus vix martyres effici, nisi eos qui se ante affecerint martyrio, aut qui a Deo multis prius ærumnis sunt exerciti, et quasi præparati atque eruditi ad martyrium, illudque meriti.

Per patientiam et adversa disponit Deus Sanctos ad martyria.

Nota : « Fructum justitiæ » vocat ipsam justitiam et sanctitatem, quæ fructus est disciplinæ. Simili hebraismo virtus humilitatis vocatur ipsa virtus, quæ dicitur humilitas, et peccatum superbiæ vocatur ipsa superbia : per hanc autem « justitiam » intelligit patientiam solidam et perfectam. Hæc enim est fructus disciplinæ et castigationis, tanquam causa; hæc est sanctitas et justitia, scilicet per excellentiam illustris et eximia, quia nihil animum ita purgat, mansuefacit, perficit et sanctificat atque patientia; hæc est pacatissima, quia patientia affert pacem et tranquillitatem conscientiæ, silentium et gaudium animæ. Homo enim patiens in omnem comparatus est fortunam, et nullum ab externis rebus et vexationibus, quantumcumque duris et molestis, accipit incommodum, sed altissima semper animi pace fruitur; hæc autem justitia et pax patientiæ perficietur in cœlo et futura beatitudine.

Unde *secundo*, per *fructum justitiæ* accipere possumus ipsam beatitudinem, gloriam et præmium æternum, quod patientiæ ex justitia debe-

tur. Ita Theophylactus et Anselmus. Est hoc tertium argumentum Apostoli, quo Hebræis suadet, ut placide suscipiant Judæorum persecutiones, tanquam disciplinam Dei, estque petitum ex fructu disciplinæ, qui est perfecta justitia, sanctitas, pax et gaudium conscientiæ. Viderunt eminus et hoc Gentiles. Quidam Zenonis discipulus a patre rogatus, quidnam tanto tempore didicisset? Ostendam, inquit. Cum nihil aliud diceret, pater iracundus, existimans impendium periisse, cœpit flagris cædere filium. Eam parentis sævitiam adolescens æquissime tulit, dixitque : « Hos e philosophia fructus retuli, ut patris iram possim commode perpeti. »

Præclare S. Bernardus, serm. 10 *De Cœna Domini*, citans hæc verba Apostoli : « Flagellis, inquit, Domini pinguedo carnalis voluptatis atteritur, et virtutes animæ roborantur : lasciva caro restringitur, et anima pennis virtutum ad cœlestia sublevatur; caro quod superfluum habebat, amittit, et spiritus virtutes quas non habebat, acquirit. Si ergo per flagella Domini virtutes augentur, vitia resecantur, spernuntur terrena, amantur cœlestia, nos æternitatis præmia præstolantes, si nobis aliqua gravis infirmitas, vel tentatio fortis, vel etiam damnum temporalium rerum irrepserit, ex his omnibus vires sumere debemus : quia crescente pugna, gloriosiorem non ambigemus nobis manere victoriam. In hoc namque ostendimus, quanta ad Deum cupiditate flagramus, si non solum ad eum per tranquilla et mollia, sed etiam per aspera et dura transimus. Ad æterna gaudia jam redire non possumus, nisi per temporalia detrimenta : et ideo spe manentis lætitiæ, omnia adversa prosperitatem non modicam debemus reputare. »

12. **12. Propter quod remissas manus et soluta genua erigite.** — Descriptio est hominis inertis, imbecillis et despondentis animum (uti innuit hic Apostolus aliquos ex Hebræis fuisse). Hic enim deficit manibus ad laborandum, et genibus ad ambulandum atque currendum in stadio, quia in genu est omne robur cruris. Centra qui strenuus est, manus habet paratas ad opus, genua agilia et fortia ad cursum. Alludit, vel potius citat Apostolus *Isaiæ* XXXV, 3, ubi ait : « Confortate manus dissolutas, et genua debilia roborate, » id est, excitate alios ad audacter, animose, viriliter agendum. Sicut enim audacia ex bile fervente promanans roborat vires et membra confirmat : sic timor per frigus quod secum adducit, debilitat et enervat corporis et animi facultates : ergo occupante pavore animos, frigescenteque et languescente corde, unde in membra omnia derivatur sensus et motus, necesse est artus omnes tremere, viresque deficere. Quæ omnia restaurat et confirmat audacia.

Languor et succurdia in membris et nervis unde oriatur?

13. **Et gressus rectos facite pedibus vestris, ut non claudicans quis erret.** — « Gressus rectos » opponit claudicationi : qui enim claudicat, non recta gradiitur, sed nunc in hanc, nunc in illam partem se inclinat, facileque a semita recta deflectit, *q. d.* Nolite, o Hebræi, miscere Evangelium cum judaismo, ut claudicantes nunc in judaismum, nunc in christianismum, sed rectam unamque christianism fidem et vitam constanter retinete et prosequimini. Citat Apostolus *Prov.* IV, 25, ubi pro *gressus* hebraice est מעגל *magal*, græce τροχιαί, quod tam semitam et orbitam curruum, ut vertit Syrus et Theophylactus, quam gressum per eam significat, usitata et vulgari metonymia. *Secundo*, pro *rectos facite* hebraice est פלס *palles*, id est libra, hoc est, velut in bilance et statera sapientiæ et justitiæ appende et expende gressus, id est, actiones tuas, vide quomodo ambules, vide ut recte incedas et opereris.

Non est claudicandum in angusta salutis via.

Ut non claudicans quis erret. — Græce ἵνα μὴ τὸ χωλὸν ἐκτραπῇ, id est, ut vertit Vatablus et Erasmus, *ne in quod claudum est, aberret*, scilicet, ne claudicatio abducat a via, præsertim cum sit angusta (1), *q. d.* Certis et non vacillantibus passibus opus est in hac via fidei et religionis Christianæ. Caveat ergo quisque, ne nutet et claudicet, itaque urgentibus persecutoribus a fide in apostasiam deflectat. Quod si quis nutare et claudicare cœperit, hic curet statim ut *sanetur*, et pristino robori, rectitudini ac constantiæ Christianæ restituatur.

14. **Pacem sequimini cum omnibus.** — Græce διώκετε, id est persequimini, ut scilicet pacem etiam remotam, vel fugientem instar leporis insequamini et comprehendatis. Alludit ad *Psal.* XXXIII, 15 : « Inquire pacem, et persequere eam. » *Pacis* meminit Apostolus, ne Hebræi Judæos persecutores suos odio prosequantur, sed eos sua charitate, mansuetudine, patientia et pace emollire et flectere, sibique et fidei Christianæ conciliare studeant. Recte S. Augustinus *ad Bonifacium Comitem* : « Pacem, inquit, debet habere voluntas, bellum necessitas, » ut, nisi necessitas cogat, pax cum bello non sit commutanda. Et S. Bernardus, serm. 3 *De Dedicatione Ecclesiæ* : « Pacem, ait, sectamini cum omnibus. Hæc est quæ facit unius moris habitare fratres in unum, novam utique regi nostro vero pacifico ædificans civitatem, quæ et ipsa Jerusalem nominatur, quod est visio pacis. Ubi enim sine fœdere pacis, sine observantia legis, sine disciplina et regimine acephala multitudo congregata fuerit, non populus, sed turba vocatur : non est civitas, sed confusio : Babylonem exhibet, de Jerusalem habet nihil. »

Et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. — Sunt qui pacem sequuntur, sed ita ut negligant sanctimoniam : dum enim cupiunt scelerati placere, scelera eorum probant et laudant. Prudenter ergo Paulus monet, ita pacem sequendam esse,

(1) Rectius alii : ἐκτραπῇ, id est, *loco suo excidat*, seu *luxetur*, scil. membrum debile.

Sanctimonia est castitas et puritas.

ut tamen sanctimonia illibata servetur. Per « sanctimoniam » Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Œcumenius, Hieronymus, in cap. XLVIII *Ezech.*, et Augustinus, *epist.* 112, cap. V, intelligunt castitatem. Castitas enim est sanctitas corporis et mentis, ut docet Apostolus I *Corinth.* VII, 34, et I *Thessal.* IV, 4. Castitas autem hæc non est in sola virginitate, sed etiam in matrimonio. Nam, ut aiebat Paphnutius in Concilio Niceno, etiam nuptiæ suam habent castitatem, ubi conjuges fidem mutuam et leges Sacramenti integre et illibate servant.

Secundo et plenius, per « sanctimoniam » accipias puritatem animi, ut animus sit sanctus, id est purus ab omni peccato. Alludit enim Apostolus ad illud *Matth.* V : « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. » Nam visio Dei, non solis, nec omnibus castis, sed omnibus iis, qui a peccato puri sunt, promittitur.

15. **Contemplantes ne quis desit gratiæ Dei.** — Græce ἐπισκοποῦντες, id est, invigilantes et intendentes aliis, « ne quis desit, » græce ὑστερῶν, id est, deficiat et destituatur (per peccatum et pusillanimitatem) a gratia Dei. Sicut in exercitu debiles et fessi cum eum proficiscentem assequi non possunt, in via deficiunt et subsistunt; ad quos colligendos providi duces solent constituere curatores, quasi episcopos qui invigilent, ne quis deficiat : ita Paulus docet non satis esse nobis nostram fidem et salutem, sed et alios præsertim debiles et vacillantes in eadem confirmare nos debere, ne quis torpidior, infirmior aut timidior deficiat ad hostes Judæos, Paganos, vel hæreticos, et fidei tesseram prodat.

Debiles in fide a fortioribus confirmandi et juvandi.

Ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, et per illam inquinentur multi. — « Radix amaritudinis, » id est amara, est peccatum, quod amaricat conscientiam per remorsum et reatum pœnæ, inquit Chrysostomus, quodque proximos exacerbat, scandalizat, ad peccandum invitat. Peccator enim suam amaritiem et virus peccati aliis affricat et instillat. Loquitur Apostolus in genere de quolibet peccato, nam subdit : « Ne quis fornicator, aut profanus. » Omnia enim peccata a Deo, ac consequenter sensim a fide, præsertim si urgeat persecutio, abducunt. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Œcumenius. Maxime tamen loquitur Apostolus de peccato hæresis et apostasiæ. Alludit enim ad *Deut.* XXXI, 18, ubi Moses radicem amaritudinis vocat apostatas, qui alios sollicitant ad idololatriam, *q. d.* Paulus : Videte, et providete, ne quis inter vos ducem se præbeat apostasiæ, qui alios excitet, pelliciat, vel etiam sollicitet ad judaismum.

Radix amaritudinis peccatum.

16. **Ne quis fornicator, aut profanus, ut Esau.** — Explicat radicem amaritudinis per exempla et species frequentiores, *q. d.* Per radicem amaritudinis maxime scortatores et profanos denoto; hi enim contrariantur sanctitati, id est castimoniæ, quam paulo ante commendavit. Τὸ *ut Esau* refert ad *profanus*, non ad *fornicator*, ut aliqui ex nexu verborum opinantur. Patet *primo*, quia sequentia omnia explicant τὸ *profanus*; *secundo*, quia nusquam legimus Esau fuisse fornicatorem; *tertio*, quia Romani ponunt comma post *fornicator*, quasi illud disjungant ab Esau. Igitur Apostolus præ cæteris vitiis inculcat fornicationis nagam, eo quod in illam homines sint propensissimi, quodque illo ævo Gentiles putarent simplicem fornicationem non esse peccatum. Eadem de causa illam præ cæteris vetuerunt Apostoli, *Actor.* XV, 29. Judæi enim Gentilibus circumsessi, imo immixti, ab eis hunc errorem facile et libenter hauriebant. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus et alii. Licet Theodoretus putet Esau vocari fornicatorem, vel ob ingluviem et gulam, ob quam vendidit primogenita, vel ob nefarium matrimonium et contra leges contractum : duxit enim uxores alienigenas.

« Profanus » est qui nihil habet sacri, qui sacra negligit, violat, conculcat. Dicitur « profanus, » quasi *procul a fano* eliminandus. Unde Virgilius, VI *Æneidos* : « Procul hinc, procul este profani. » Et Plato in dialogo *De Sanctitate* : « Quod diis, inquit, amicum, id sanctum est : quod vero non amicum, profanum est. » Idem Plato in *Minoe* : « Sacratissimum omnium, inquit, est vir bonus, profanissimum contra vir malus. » Sic græce βέβηλα, id est profana, dicuntur, quæ omnibus ad conculcandum proposita sunt. Ducta est vox ἀπὸ τοῦ βηλοῦ, id est, a pavimento, quod a quovis calcatur, inquit Elias Cretensis in *Apologet.* primum Nazianzeni. Sic Apostolus Esau vocat profanum, quod pro vili lentis edulio vendiderit, et vendendo conculcarit profanaritque jus primogenituræ, quod sanctum erat, qua parte includebat jus sacerdotii. In lege enim naturæ primogeniti erant sacerdotes, et patri succedebant in sacerdotio, *q. d.* Paulus : Videte, o Hebræi, ne adinstar Esau, jus sanctum, quod per fidem Christi habetis ad hæreditatem cœlestem, vendatis pro terrenis opibus, ut malitis eas retinere, cum jactura fidei et regni cœlorum, quam retinendo fidem, easdem perdere, quando Judæi vos persequuntur, urgentque ut vel bonorum, vel fidei Christi jacturam faciatis.

Jus primogenituræ sanctum, includens sacerdotium.

Quæritur hic, an et quomodo peccarit Esau vendendo, Jacob emendo primogenita?

Nota : Jus primogenituræ illo tempore partim temporale erat, partim spirituale. Temporale erat, quatenus dabat primogenito jus ad duplicem portionem hæreditatis paternæ, cum alii fratres tantum haberent simplicem; rursum quatenus primogenitum efficiebat successorem patris et principem fratrum. Hoc enim est quod dicitur *Gen.* XLIX, 3 : « Ruben primogenitus meus, prior in donis, major in imperio; » et *Deut.* XXI, 17 : « Dabitque ei (primogenito) de his quæ habuerit, cuncta duplicia. » Spirituale erat, quatenus annexum habebat tum jus sacerdotii, antequam id Levi et Leviticæ tribui deferretur, tum jus ad benedictionem paternam; hanc enim pater mo-

Jus primogenituræ duplex, temporale et spirituale.